# EVROPA.
# ΕΑΥΤΗΝ
ΤΙΜΩΡΟΥΜΕΝΗ, HOC EST MIſerè ſe diſcrucians, ſuamq; calamitatem deplorans.

Ad Reuerendiſsimum & illuſtriſsimũ Dominum, D. HERMANNVM A VVEEDA, Archiepiſcopum Colonienſem, & ſacri Imperij Principem electorem.



Andrea à Lacuna Secobienſi, Philiatro, Authore.

Hæc declamatio lugubris, fuit recitata Coloniæ, in celebri Artium Gymnaſio, coram maxima Principum, hominumq; doctiſsimorum corona, adhibitis tum nigris facibus, tum alijs cæremonijs funebribus, Anno 1543. Die Dominica XI. Cal. Febr. hora ſeptima poſt meridiem.

Philibertus de Bay

# EVROPA AD LECTOREM PER EBERH. B. C.

Quum mea uipereo lanientur uiscera morsu,
Discerpar genitrix prolibus ipsa meis.
Nulla quies lacero remanet mihi corpore, sensus
Ex omni impatiens parte doloris hebet.
Heu quid agam tristis, taceam ne, an percita clamem?
Nescia non sanæ mentis habere modum.
Hactenus obticui mœstas frustrata querelas,
Quòd me deficeret uocibus apta fides.
Quòd nusquàm pietas, nusquám reuerentia ueri
Extet & incassum transeat iste labor.
Flere iuuat (magni solatia parua doloris)
Et iuuat undanti spargere rore genas.
Si queror, & gemitus alto de pectore promo,
Hic tamen haud tanget pectora dura dolor.
Sed querar, & magna diffundam uoce dolorem
Audiat ut cœlum, terra, fretumq; simul.
Quippe meos sum nacta uirum casus miserantem,
Qui foueat laribus murmura nostra suis.
Hic est, quem decorat prudentia Iuris, Adolphus,
Qui trahit à quercu nomina clara Iouis.
Hunc apud apta quies, heic respirare potestas,

# AD LECTOREM.

*Quercus ubi umbrosam spargit opaca comam.*
*Author erit planctus Andreas, quem mihi nuper*
*Castalio diues fonte Lacuna dedit.*
*Hinc nobis altum tolletur ad æthera clamor,*
*Quo tandem furias exigat orbe Deus.*
*Impia quinetiam perfringat tela sceleslûm*
*Qui mea purpureo sanguine membra notant.*
*Hinc & Agrippini pulsabit Præsulis aures*
*Clamor, & à tanto Principe poscet opem.*
*Nempe inter primos Heroas munere diuûm*
*Promeruit longæ pacis habere decus.*
*Infœlix toto cum uexer in orbe, sub isto*
*Accidit aduersi nil mihi, triste nihil.*
*Hoc si principium, lætus quoq; finis honestet,*
*Pacificum moriens nomen ad Astra feret.*
*Exemploq; eius pietas durabit auita*
*Munere quò liceat pacis ubiq; frui.*
*Tu quoq; qui placida lamenta hæc excipis aure,*
*Ne cessa nostras ipse dolere uices.*
*Cum premor & pereo, mea sunt communia damna,*
*Corporis es magni portio parua mei.*
*Quod si conuerso lætabor cardine fati,*
*Iucundæ socius prosperitatis eris.*

# AD REVERENDVM, ILLVSTREM, ATQVE MAGNIFICVM

*Virum, Dominum. D. Georgium, ex Inclyta illa familia Ducum Brunschuuicensium, necnon Lunenburgenß. &c. Metropolitanæ Coloniensis ecclesiæ præpositum longè dignißimum, in Europam* ἑαυτῶν τιμωρουμένων, *Andreæ à Lacuna Secobiensis præfatio.*

QVAE IN *tanto Principũ, hominumq́; doctißimorum consessu (quem Reuerendus, Illustris, ac non*

*minus synceriori doctrina, quã pietate admirandus Dominus, D. Georgius, Comes à Vuitgenstein, & Sein, supremus Capellarius Domini Reuerendiss. &c. splẽdore suo etiã illustrare dignatus est) haud ita pridem, tragica lamentatione suam calamitatem defleuit, quæq́; uel durissima pectora in suspiria promouit & lacbrymas, & quã dudum, pia ductus miseratione, ad te accersier iubebas, ecce iam adest tibi (miserum ac triste spectaculum) multo omnium funestissima Europa, Princeps Splendidissime,* ὥς Ἐριννὺς ἐκ τραγῳδίας, οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ἐκ τροφωνίου προελθοῦσα. *Quæ quidem omnino hanc habens perosam lucem, ærumnosis nempe omnibus oppido quàm inuisam, sola secum lugẽs*

&

*& mœrens, hactenus meo in musciolo delituit. Vnde sané prodijsset nunquã, nisi & à me pellecta, & freta etiã certa quadã spe benignitatis atq; magnificentiæ tuæ. Ait siquidem non sine pudore maximo sese illis tam deformem ostendere, apud quos olim fuerat summo cum splendore atq; authoritate uersata: uereriq; etiam nonnullorum sycophantarum scommata, qui tantùm phaleras commendantes, atq; uestium ornatum, si quem uideant pannosum & lacerum, quum potius miserari deberent, confestim eum, ceu hominem nihili, rident, ludunt, & aspernantur: non expẽdentes interim, quid nã* ὑπὸ τῦ ξάκους, *quid sub pallio uili, reijculoúe latere possit.*

*Quia uerò non desunt factiosi aliquot, qui odio Vatiniano æstuantes, adhuc illi extremum comminentur exitium, unicè me deprecata est, ni extinctus esset meus erga ipsam amor, ei ostenderem aliquem Patronũ & Principem, sub uexillo cuius, ueluti in Asylo quodam, aduersus omnium iniurias reliquum sese posset tueri.*

*Igitur ipsius lachrymis prò uirili cupiens obsecundare, ut concederet ad Reuerendissimum & Illustriss. Virũ Dominumq́, D. Hermannũ à Vueeda, Archiepiscopum Coloniensem, & Sacri Imperij Principem electorem, utq́ illi supplex dederet sese totã, consului. Eum quippe, inter uniuersos heroas Germaniæ (iudicio omnium) esse*

lon-

*longè Clementissimum & Pientiss. Principem, præcipueq; orbis concordiæ, paci & tranquillitati indulgere. Eum semper uiduarum extitisse fautorem maximum. Patrem pupillorum benignum. Miserorum egenorumq; solatium: in summaq;, naufragorum omnium portum quendam securum: ac proinde apud illum omnibus fortunæ atq; uirtutum dotibus cumulatum, se uicturam quàm fœlicissimè.*

*Vix autem hæc ipse dixeram, dum nomine fautoris tam illustris audito,* ὥσπερ γλαῦκος μέλι πινῶν, *animum resumens ac uires, ad eum se iam iam perduci rogaret, ingenium eius mitissimum, se aliquãdo expertã fuisse cõmemorãs. Quum ergo urgeret impensius, di-*

*xi nō uideri mihi ſanum aut expediens consilium, ut ipſe ignotus ignotam, obſcurus abiectam, infortunatus denique infœliciſsimam, tanto tamq; generoſo Principi obtruderem: fieriq; poſſe, ut non facilè admitteremur. Addidi etiam, quū nuper ex Diuoduro (quam hodie appellamus Metim) huc penetrarem Rheno, uoluiſſemq; ad confluentiam appellens, tum uidendi eam ſtructuram magnificam, tum ſalutandi Bartholomeum Lathomum ergo, uirū herclè & doctiſsimū, & ſumma mihi amicitia coniunctum, Reuerendiſsimi & Illuſtriſs.* Domini, *D. Ioannis Lodouici, Archiepiſcopi Treuerenſis, atq; adeò Principis Electoris, obiter inſigne illud caſtrum luſtrare, pulſanti mi-*

hi,

hi, confestim sese obtulisse ianitorem quendam nimis seuerum, qui me, eadem qua Iudæi Ioannē Baptistam, hac Germanica salutatione satis superbè excepit. Wer bistu? Was ist deyn begehr? Cui quidem quum respondissem humaniter, me & Hispanum esse, & uelle integrum amicum inuisere, Lathomum δηλονότι, sic rursus mecum confabulatus est. Ehr ist nit hyr. Du magst nit hyrin kommen/ want es seyn etzliche Fürsten vnd Churfürsten hyr/ Du bist bey ebenteur eyn Verreter: cum dictoq; mihi subitò occlusit fores, ac parum abfuit, quin simul manus etiam clausisset. Ego autem erubescens recessi. Citius enim Paradisum intrassem.

Quo exemplo persuasi huic Europæ

pæ misellæ, opus esse sibi ductore alio, & augustiori, & quē magis Piluri ipsi reuererentur. Cui muneri nemo (mea quidē sententia) te inueniri possit congruentior, Pater obseruandissime, qui ob grauitatem istam tuam, doctrinam, atq; admirandam sapientiam, quum alijs omnibus sis amabilis, tū uel maximè ipsi Domino Reuerendissimo es dulcis, charus, familiaris, acceptus. Qui uitæ tranquillitate, atq; es morum integritate cōspicuus. Qui Europæ huius uisendæ studio, olim etiā te macerasti. Qui publica & priuata negotia, cum magna gloria & laude administras. Qui doctis & literatis omnibus promotor ipse es doctissimus. Quas insignes uirtutes tuas mihi nuper Doctor

Ioannes

*Ioannes Cæsarius, Vir ille quidem nõ minus omnium disciplinarum genere, q̃ ætate ueneranda prouectus, haud immeritò ad cœlum usq; efferebat. Easdem apud me solet cõmendare & magnificè, Ornatissimus Vir, D. Adolphus ab Eichholtz, Agrippinẽsis, utriusq; iuris Doctor, atque Ordinarius professor eruditissimus, ac meus hospes & singularis amicus.*

*Vt ergo, quam experiuntur omnes, ipsa etiam tuam sentiat humanitatem, En inquam tibi lamentabilis & infortunatissima Europa, Vir præclarissime, tota caduca & dehiscens, oculis defixis in terram, nihil nisi de laqueo iam cogitans, nihil nisi de præcipitijs, quæ olim uiribus suis, tot reges, tot*

subiu-

*ſubiugauit Imperia. Eius ſalus & incolumitas ex tuo pendet nunc patrocinio: Si qua illi uitæ ſpes ſupereſt, tota ſita eſt in tuis manibus. Itaq; eam cõmiſerare. Eam aliquo refrigerio demulce. Nec uerò maiori poteris, quàm ſi des operam, ut ad Illuſtriſſimum & Clementiſſimum Colonienſem Principem (cuius heroicarum uirtutum undiq; examen quoddam, ac ueluti uaſtum cœlum & mare, ſeſe nobis oſtendit) per te illi pateat acceſsus.* ἔῤῥωσο.

# ARGVMENTVM AVTHORIS.

*PER totū Christianum orbē bis bacchanalibus diebus hactenus semp fuit mos, Viri multis nominibus suspiciendi, uaria celebrare cōuiuia, certare de magnitudine poculorū, choreas in triuijs ducere, laruatos incedere, personis uelare faciem, aleam ludere, comœdias lubricas agere, gesticulationibusq; indulgere. Huius autem summa infœlicitas temporis, maxima huius tempestatis calamitas, eò nos iam deduxisse uidetur, ut eiusmodi oblectamentis omnibus prorsus ualere*

iuſſis, in ſingultibus, ſuſpirijs, & lachrymis, nos tantùm exercere debeamus. Quis enim in tanta omnium ærumnarum colluuie, in tanto omnium afflictionum examine, in tanta rerum omnium conſternatione, & ſi uelit, poſſit animo exhilarari? Nemo. Nemo. Nemo: niſi forte aliquis mente captus & furens. Quare Viri Ornatiſſimi, non eſt quòd ueſtrum quiſpiam exiſtimet, ſe ad hanc conceſsiſſe aulam, recreandi animi gratia, aut aliquid feſtiuum audiēdi, ſed potius gemendi mecum, deflendi, deplorandiq; totius Chriſtianæ Reip. longè funeſtiſsimam cladem. Siquidem quæ impræſentiarum dicturi ſumus, πάντ᾽ ἀδμήτου μέλος, omnia lugubria ſunt, omnia letalia, omnia ſuum funus redolent

lēt, omnia luctu & mœrore sunt plena.

Eunti dudum ad priuata negotia mea, occurrit mihi mulier quædam (iudicio meo) multo omnium miserrima, Viri Clarißimi, tota lachrymabunda, tristis, pallens, trunca & mutila membris, oculis concauis, ac ueluti in foueas quasdam reconditis, admodumq́ macilēta & squalida: qualeis uetulæ sæpe solent ad me uenire laborantes hectica febri. Quum igitur sese baculo forti, generoso, ac non uulgari sustentans, indutaq́ ueste lugubri, propius paulo accessißet, sic me uoce difficili & rauca tandem affata est.

Quia scio te amantißimum semper fuiße mei nominis, plurimumq́ mei desyderio flagraße, Vir amicißime, p-

 sua-

*ſuaſumq́; habeo, me neutiquàm tibi faſti dio fore, quamuis ſim in tam ſiniſtra conſtituta conditione fortunæ, te accedere intrepidè nõ erubeſco, ut in tanta inopia conſilij, in tanta rerum deſperatione, conſilio tuo, uacillanti mihi medearis.*

*Siquidem eorum omniũ qui in meo me ſuſpiciebant triumpho, adorabant, atque reuerebantur, quiq́; meo ex nutu pendebant, hi quidem tranſeuntem me, toruè intuentur, ceu uirus. Illi, ut euerſam hominis olim defuncti ſtatuam, prætereunt. Alij procul me conſpicientes, confeſtim aliò ſeſe detorquent, infauſtum inauſpicatumq́; omen ſic ſe declinaturos putantes. Sunt qui*

ne

ne agnoſcant quidem, quam dudum ſeruatricem & adiutricem ſuam omnibus prædicabant. Nec eſt qui mihi uel unum obolum porrigat, ex eis quos ipſa olim locupletaueram: tanta inuaſit hodie animos ingratitudo mortalium.

Ne te autem diu ſuſpenſum remorer, neue mihi prius deſit ſpiritus, q̃ meam calamitatem exponam, Ego ſum illa infelix, triſtis, & funeſtiſſima Europa, quam ipſe, meo dum in uigore floreſcerem, es perſæpe admiratus. Ego illa quam, oblitus omnium aliarum rerum, tanta cum uoluptate ſpectabas. Illa quæ ingenita pulchritudine & uenuſtate mea, tuos mirè paſcebã oculos. Illa quæ omnium animos atq; ora in

*maximam commendationem ſui, olim atq; admirationem conuertit.*

*His auditis obſtupui. Quis uirginem putaſſet elegãtiſsimam, tam ſubita deformatam fortuna? Videbatur enim mihi planè uiuum quoddam cadauer. Videbatur arte aut induſtria facta, ad terrorem incutiendum imago: adeò præ ſe ferebat horrendum atq; tetricum uultum.*

*Heu mihi qualis erat, quantum mutatus ab illo.*

*Ei itaque coactus ſum condoleſcere, cui antea gratulari eram ſolitus. Percontatus cauſſam tantæ metamorphoſews, ſe à Chriſtianis principibus ſic eſſe tranſformatã reſpondit. Satius tamen eſt, ut ipſammet iam uideatis, atq; audiatis etiam*

loquen-

*loquentem: quæ quidem impedita pudore, hactenus non est ausa prodire.*

*Veni Europa: Europa: Non est quod suffundaris rubore, uel si te ostẽdas uiris & humanissimis, & amicissimis nobis. Accede inquam Europa. Hem? Quid hoc est? Non respondet. Facem admoueas. Prorsus extincta iacet. Iesus. Iesus. Iam agit animam. Omnino est exanguis & frigida. Acetum. Acetum. Europa? Europa? Ad te reuertere. Lætare, Lætare. Omnia fœliciter cedẽt. Aulam Reuerendissimi ibimus. Ille tuis malis medebitur. Ille dolores tuos solabitur. Ille quippe semper opem fert ærumnosis. Ille confirmat tristes. Ille fouet exhaustos. Ille esurientes pascit.*

*Ille tegit nudos. Ille reficit aduenas. Ille orphanos atq; uiduas tuetur. Ille disciplinarum, bonorumq; omnium institutorum integerrimus semper est conseruator. Iam resumit spiritum. Iam reuiuiscit quodammodo. Iam oculos aperit. Me'ne agnoscis Europa? Quid consternaris animo, quin potius corroboraris? Surge, Surge Charissima. Sume tecum & baculum: alioqui statim corrues. Quid lachrymaris? Tam cito despondes animum? Id nõ decet fortem mulierem. Siccine obliuisceris pristinæ illius uirtutis tuæ? Atqui fortitudinis est, nomen & ignominiam, sanitatem & morbum, fortunam denique & infortunium eodem animo ferre. Si fortuna non satis*

*ſuccedit uotis, ſi tibi eſt aduerſa & contraria, non continuò eius cedendum inſultibus, ſed reſiſtendum potius animo inuicto, atque heptaboêo. Et dum nõ potes ut uis, tibi eſt degendum ut poſſis.*

βουλόμεθα πλουτεῖν πάντες,
ἀλλ᾽ οὐ δυνάμεθα.
πάντες καλῶς ζῆν θέλομεν,

*Quid ſi Deus Opt. M. uult nũc experiri patiẽtiam tuam? Quòd ſi omni deſtituta præſidio, tu etiam teipſam deſeras, huius infirmitatis tuæ tandẽ quis erit finis? Noli itaq; te diſcruciare tã crebro, ut tot atq; tãtis malis ſaltẽ poſſis par eſſe. Bono animo ſis. Nã & ſi, quantùm opinari licet, pro animi ſentẽtia tibi res nunc perfici nequeat,*

*ad ea tamen quæ præter hominum opinionem eueniunt, Deus certè uiam inuenit. Qui quidem* ἀπὸ τῆς μηχανῆς ἐπιφανήσεται. *Nam ut ait Hesiodus.*

Ἄλλοτε μητρυιὴ πέλει ἡμέρα, ἄλλοτε μήτηρ.

*En uobis, Viri Clarißimi, calamitosißima Europa, tot dominatrix gentium, tot populorum uictrix, tot debellatrix urbium, tot tyrannorum domitrix. Pensiculate quæso in quē statum eam sua iniqua fata deiecerint: qua catastrophe, quo exitu, q̃ sinistra rerum commutatione eam transformarint. O Fortuna, Fortuna, O crudelis atque parum sana Fortuna, q̃ es anceps, uaria, & inconstans: Quàm pro tuo arbitrio & libidine uoluis negotia mortalium. Rectè enim interrogatus Apel*

les

*les, cur Fortunam ſedentem finxiſſet, quia, inquit, ſtare non poteſt.*

*Non uidetis quàm ſit cruenta? q̄ uilis? q̄ ſordida? q̄ pannoſa? q̄ deniq; miſerabilis? quæ olim nitore ſuo uel ſolem ipſum uincebat? Tota tremit membris, cuius robore & ui, totus olim orbis concutiebatur. Multis iam retro diebus nihil præter ſuum ſanguinem bibit. Nihil præter lachrymas meras. Nihil eſt præter ſingultus loquuta. Quid igitur obmuteſcis tam diu, Europa, quin potius, in tanta hominum benigniſſimorum corona, tuam latius funeſtam cladem exaggeras?*

*Europa.*

*Si tantùm à Chriſtianorum hoſtibus uulnera quibus afficior indies, acce-*

*perem, si ab illis solùm euerterer, minuerer, deturbarer, utique mitiori animo ferrem iniuriam meã, Viri optimi, nec me tantopere macerarem. Quum autem quos ipsa genui, quos enutriui in meis finibus, quos meis facultatibus auxi, quos prouexi felicitauiq; uel ad hyperbolem usque, etiã Christiani Principes, ceu mille agitati furijs, mihi bellum intestinum moliantur, continere non possum, quin tanto dolore pressa, in suspiria erumpam & lachrymas. Nam quemadmodum uomicæ alicuius dolor, eiecta purulenta sanie sedatur, sic nimirum animi inualescẽs anxietas, lachrymis effusis quoquo modo compescitur. Quanquàm (heu mihi) rursus assumit uireis atque corroboratur:*

quod

*quod solet ignis, aquæ irrigatione incandescens.*

O *me matrem infelicißimam( quor sum amplius apppeller uirgo, tot stupris polluta? tot contaminata adulterijs? tot incestibusq́; uiolata? )* O *me inquam matrem infelicißimam, quæ prolem plus quàm uiperinā ediderim, à qua tandem impiè discerperer, à qua peßimè lacerarer. Concepi qui mea laniarent uiscera: Genui qui me contererent: Lactaui qui me diriperent: Foui qui meum haurirent sanguinem: Promoui qui me deijcerent, accenderent, labefactarent.*

*Meritò igitur possum uti querela eadem in meis acerbißimis malis, qua*

*illa simplex ouicula, suis uberibus lupi catulum alens, haud iniuria se discruciabat.*

τὸν λύκον ἐξ ἰδίων μαζῶν τρέφω, οὐκ ἐθέλουσα,
Ἀλλά μ' ἀναγκάζει ποιμένος ἀφροσύνη.
Αὐξηθεὶς δ' ὑπ' ἐμοῦ, κἀπ' ἐμοῦ πάλι θήριον ἔσαι.
Ἡ χάρις ἀλλάξαι τὴν φύσιν οὐ δύναται.

*Graecorum interpretatio.*

*Lacto lupũ uberibus ꝓprijs, nõ sponte, sed horsum*
*Me demens adigit pastor, ut id faciam.*
*In me rursus erit fera, postquam creuerit ex me.*
*Natura haud unquam uertitur officijs.*

*Quanquàm hoc inter eam & me miseram interest, quòd illa quidẽ, unum tantùm alebat lupum, eumq; poterat facilè, aut inedia absumere, lacte illi interdicẽs, aut mole uentris opprimere, simulq; futurum sibi sic arcêre periculum: ego uerò plureis iam educauerim, qui exertis dentibus, penitusq; insatiabiles, assiduè mihi hepar tondent & uorant*

rant

*rant, semp mei sanguinis sitientissimi.*

*Nec satis enim illis est uisum, si undiq; ab externo, eodemq; immanissimo hoste, misera atq; miseranda concutiar, nisi etiam interna proditione & insidijs similiter circumueniar. O morum iniquitatẽ summam: O iniquã ingratitudinem: O ingratissimam impietatẽ: Qui me tueri debuissent, qui uiribus instaurare, qui pro incolumitate & salute mea aduersus omneis arma suscipere, adeò in me grassantur & sæuiũt, adeò ferino quodam furore perciti, me & uastant & demoliuntur, adeò mihi uiolẽtas & impiatas manus iniciunt, ut iam non tam inuisa meis sim aduersarijs, quàm miserabilis. Siquidem qui me oderant, quibus*

*olim*

*olim terrori fueram, qui meum uenabantur exitium, iam condolescunt meis malis, iam mitescunt, & emolliuntur, satis magnam ultionem sumi de me censentes, si meo proprio morbo tabescã, eoq; fatiscens consumar. Qui quidem adeò est inclemẽs, adeò imperiosus, & grauis, tam altè suas iecit radices, adeò uitalia omnia occupauit & populatus est, adeò imis penitioribusq; medullis hæret, ut nullus humanus medicus mihi promittat salutem, nullus iam mihi mederi poßit, sed misereri.*

*Quid igitur in tanta cõsternatione, in tãta pplexitate, in tãto mearũ fortunarũ discrimine, mihi nõ terra dehiscit? Barathrũ, Cerberusúe quid me nõ uo-*

*rat? Quid me non obruit Oceanus? Quid non Scylla aut Charybdis me absorbet? Quid non descendens ignis me absumit? Fulmen, quid me non conterit? Virus aliquod uiperæ quid me non depascit & populatur? Quid non peplum cruore Centauri imbutum? Longè enim mihi honestius & expedientius esset semel bene interire, quàm toties excarnificari miserrimè. Quis enim in tot angustijs non uitam morti postponat? Quem huius lucis tanta delectet calamitas? Cui non sit huius tempestatis alea inuisissima?*

Αἰσχρὸν γὰρ ἄνδρα τῶ μακροῦ χρήζειν βίου,
κακοῖσιν ὅς τις μηδὲν ἐξαλλάσεται.
Ἀλλ' ἢ καλῶς ζῶν, ἢ καλῶς τεθνηκέναι,
τὸν εὐγενῆ χρή.

*Vbi enim non sis qui fueris, non est cur uelis uiuere. Potest'ne mihi uita iucunda esse, dum ruinas mearũ urbium conspicio? desolationes agrorum? phana combusta? erutas aras? prostitutas matronas? uitiatas uirgines? raptos meos adolescẽtes? effusum sanguinẽ? stupra? rapinas? cædes? disciplinas extinctas? cultum Diuûm neglectum? commeatus atque meorum negotiatorum commercia intercepta? ignem denique, ferrum, bombardas, atq; alia tormenta bellica, meas structuras destruentia?*

*Desinant igitur Carthaginenses iam suam deflere Carthaginẽ. Athenienses Athenas. Lacedæmonẽ Lacedæmonij: ac Babylonij suam illam*

excel-

*excelsißimam turrim. Neq; amplius nobis aures obtundat Maro, Iliacum excidium lugubri recinens cantilena. Siquidem illarum urbium incommoda, condigna & particularia fuere, cum eisq; una interiere die: Meæ autem calamitates, quibus immerens affligor, uniuersales quũ sint, indies magisq; incrudescunt, nec modum, nec finem faciunt.*

*Vbi igitur mihi nunc tot tragœdi? Vbi mihi Sophocles? Vbi Aeschylus, Hesiodus'ue? Vbi Euripides? Vbi σκυθρωπὸς ille Heraclitus? ut meas lugeant ærumnas? Vbi propheta Iob? Vbi denique Hieremias? Cur omnes ad me non ueniunt? Cur non festinant & properant? Ego etenim,*

*cui amplius lachrymari non licet, nempe oculis aßiduo fletu exiccatis, lugendi, lamentandiq́; (si eis desit) uberrimã illis materiam suggeram, amplam occasionẽ suppeditabo, sustinens (quod in prouerbio est) ἐσχάτωμ κακῶμ τὰ ἔσχατα. Iccirco excutiat iam galerita suam sepulchralem columnam. Chelidωn simul & philomela mihi etiam luctu concedant. Neq́; flendo contendat mecum illa fœcundißima Niobe. Hecuba iã frontem exporrigat. Mihi relinquant lachrymas deinceps Phaëtontis sorores. Hæ siquidem abundè suum fratrem, illæ autem satis superq́; hactenus deplorarũt suos liberos: ac proinde aut desistant iam, aut meã tantùm orbitatem deplorent, meq́; suspirijs iuuent,*

quæ

*quæ tot regna, tot imperia, tot insulas, tot deniq; splēdidißimas urbes, dulcißima mihi pignora, amiserim. Vbi nunc Hadrianapolis mea? Vbi quæso Callipolis? Vbi Philipolis? Vbi maior natu, ac nunq; satis deplorata, mea dulcis Cōstātinopolis? Vbi Thessalonica ciuitas? Vbi alba Græca? Vbi Dyrrachium? Vbi Lemnos & Mitylene insulæ? Vbi florentißima Rhodos? Vbi meum Trapezuntium imperium? Heu, furijs incensa feror. Desipio præ dolore & insanio.*

*Laboro gemens. Perluo lectum meum omni nocte, & stratum meum lachrymis liquefacio.*

*Perijt mihi per mœrorem, oculorū acies. Emarcui inter tot hostes meos.*

*Plæni sunt miseria lumbi mei, & in me prorsus nihil est sanum.*

*Cor meum palpitat. Reliquit me robur meum, & acies cum ipsis oculis non est mecum amplius.*

*Quî ergo nūc fit Domine, ut lōgissi me absis? ut lateas in angustiæ tēpore?*

*Notum est tibi omne desyderium meum, gemitus meus nō te latet.*

*Exurge igitur Domine Deus, extende manum tuam, & ne obliuiscaris eorum qui oppressi sunt.*

*Quis obsecro me miserior in uita? Quis apud inferos tristior? infortunatior? calamitosior? Nemo ædepol, Nemo. Nam si Prometheus in Stygia illa palude cor ab aquila eroditur: Si Tātalus assidua torquetur.*

*ſiti: Si Ixion uoluitur rota: Si Siſyphus deniq;, labore quodam irrito, ſuccutit ſaxum perpetuò, ij inquã omnes, ſi meo dolore metiantur ſuũ, uidebuntur ſibi haud dubiè, non in labore & cruciatibus, ſed ſummis in delicijs uerſari: adeò clades mea eſt excellens.*

*O Lacheſis, Atrope, & Clotho: O Teſiphone, Megæra, & Alecto, quid uos tam diu cunctamini? Quid me iam è mundo non tollitis? tam ærumnoſam? tam exhauſtam? tã triſtem? tamq; omni deſtitutã ſolatio?*

*Quis mihi faciet copiam mandragoræ? Quis cicutæ? Quis Loti? Quis papaueris rubei? Quis deletherij hyoſcyami? quarum herbarum cremore, aut ipſa ſubitò extingar, aut meorum*

*recordatio malorum? Quis me ad latices deducet letheos? Quò obsecro me recipiã? Cuius implorabo suppetias? Cuius fidei me commendabo? Cui me tandem supplex cõcredam? An Diuo Carolo Cæsari? At, quòd mihi esset indulgentissimus, quòd me paterna charitate prosequeretur, quòd me diligeret unicè, & coleret, perinde ac si totã iam uoluisset ambire, magnam sibi conciliauit inuidiam. Quanquàm ne ob id quidem cessat ærumnis meis ferre manus auxiliatrices. Ille quippe animo infracto, me præ imbecillitate corruentẽ sustinet. Ille meis semper malis medetur. Ille mihi semper opitulatur. Ille meas curas sibi facit communes. Ille, oculos gerens in occipicio, sedulò mea*

*membra circumſpicit, nullum non mouens lapidem, ut ſit mihi proſpectum optime. Qui quidem ni interceſſiſſet, actum fuiſſet iampridem de rebus meis. Cæterùm liuida Zelotypia nonnullorum contigiſſe uidetur, ut uacare mihi pro animi ſententia non poſſit.*

*Haud minori ſtudio molitur idem, non tam fortunatus ꝗ̃ pius, Ferdinandus Hungariæ Rex Inclytiſſimus: qui heroica atq; indefeſſa uirtute cupiens meorum hoſtiũ uireis confringere, meq; in dulcẽ libertatẽ aſſerere, etſi reluctãtibus fatis, nullum non ſubit diſcrimen: nihil nõ experitur: nihil intentatũ relinquit. Eum autem ſi æmularentur omnes Chriſtiani Principes, nec iacerẽ collapſis uiribus, nec tãta ex cruce penderẽ.*

*Author.*

*Siste parum Europa.*

*Hic Au thor susci pit causam Ferdinandi Regis.*

*Sunt tamen, sunt certè plures, malè feriati Thrasones, ex ijs qui dudum ex Pannoniæ bello rediêre, Viri Ornatissimi, qui quidem, quòd nonnulli in Hungaria interierint morbo, nonnulli aliquo affectu laborent (ô res mira) impudenter non solùm Hungaros ipsos, sed Regem etiam optimũ calumnientur, non morbo, sed ueneno illos omnes sublatos fuisse dicentes. Aiunt siquidem, cum farina calcem uiuam eis dolo subactam, atque etiam contusum uitrum: quo ex pane qui ederunt, partim quidem egisse animam, partim etiam nunc diro morbo torqueri, ac si aliunde non potuissent morbum atque mor-*

tem

*tem ipsam contrahere. O falsam criminationem & impiam: O impudens atque perniciosum commentum: O audaciam & libertatem insolentissimam: O ingratam & detestandam improbitatem: An satis non esse ducunt, si solus pro communi salute omnium, pro tota Christianorũ Rep. Pro ipsis Christianis principibus, pro aris denique & templis, cum sibi charissima uxore, cum liberis & facultatibus uniuersis, hiantibus illius Cerberi faucibus quotidie sese exponat uorandnm Ferdinandus Hungariæ Rex Inclytissimus, ni pro beneficio tam singulari, pro candore tam pio & syncero, ueneficij etiam illum insimulent? O indignum facinus: O inexpiabile scelus: O piaculare flagi-*

tium. Haud iniuria igitur (mea quidē sententia) ipse Rex Pientissimus, usurpare sibi possit iā illud Homeri.

Μή τις ἔτι πρόφρων ἀγανὸς, καὶ ἤπιος ἔστω,
Σκηπτοῦχος βασιλεὺς, μηδὲ φρεσὶν αἴσιμα εἰδώς,
Ἀλλ᾽ αἰεὶ χαλεπός τ᾽ εἴη, καὶ αἴσυλα ῥέζοι.

*Graecorum interpretatio.*

Posthac ne placidus sit quisquā ne'ue benignus,
Nec mitis, iustiq́; tenax, Rex sceptriger unquam,
Sed semper ferus esto, & semper iniqua patrato.

At aiunt, medicos etiam ipsos, quum dissecuissent cadauer unum aut alterum, exploraturi ipsius morbi radicē, reperisse planè in uentriculo, tum cōminutum uitrum, tum etiam calcem. O Medici, Medici, ꝙ facilè miseræ plebeculæ imponimus: Quàm miserè multitudinem ineruditā eludimus: dum imperitiā nostram, erroremq́; tueri, tegereúe aliquo prætextu studētes, quā

forte

*forte nos ipsi intulimus, in uenenũ mortis caussam torquemus. Nam qui obsecro fieri potest, ut in humano uentre, in quo miscellanea sunt omnia, tusum discreueritis uitrum, qui ne in officinis quidem id ualetis discernere?*

*At omnia intus abrasa erãt: Tunicæ intestinorũ excesæ: Omnia inflammata, & combusta.*

*Iam equidem uos intelligo. Nempe dicitis, atq; etiam uos par est dicere, non à uitro, sed à uitrea quadam bile & mordente, quam ex pessima ipsi uictus ratione, collegerant, illa omnia corrasa fuisse.*

*Rem tamen discutiamus exactius. Cuius, dic mihi, rei gratia illi miseri & miserabiles extinguerentur ue-*

neno? An ut cederent sacerdotijs? An ut spoliarētur regno? Vt pellerentur pontificatu? Regibus enim, Imperatoribus, Prælatis, & Pontificibus, parari tales solent insidiæ, non leuioris armaturæ militibus, qui quidem si cum sua sorte, & infelici conditione sinantur, si permittantur uiuere (quanq̃ flagitiosissimi sint) satis acerba est uindicta: nisi quis dicat fortè, eos ueneno necandos esse, quòd mundi uenena existant.

Quis autem non uideat esse, & ridiculum, & ἀτοπώτατον dicere, quorum sibi implorauit subsidia Rex benignissimus; quos ad se allexit, eis ipsum aut porrexisse uenenum, aut per alios propinandũ curasse? Quis adeò sit mentis

inops

*inops & uecors, ut eum credat pharmaco circumuenisse Christianos, qui ne Turcas quidem dignatus fuisset?* ταῦτα γὰρ, οὐδὲ διωλύγιος φλυαρία δόξειεν εἶναι, οὐδὲ κατὰ γραῶν ὕθλον λεγόμενον, ἀλλὰ πέρα τοῦ μεγίστου φληνάφου.

*Iam uerò, fingamus tum calcem ipsam, tum uitrum, fuisse permista pollini, ad inescandos eos mures: id quod credere, piaculare sanè fuerit & impium. Calx profectò, ut exactè cum farina coalescat, optat largam aquæ affusionem, qua necessum est extingatur. Extincta autem nõ est uenenum.*

*Rursus, uitrum, non comminutum tantùm, sed etiam integrum, plurimi deuorarunt, & quos uinum uberius potum mente alienauerat, & qui exer-*

cebant

*cebantur phrenitide: quorum nullus, haud dubiè, interijt.*

*Facessant igitur hinc. Desinant Hungaris maledicere. Desinãt eorũ Illustrẽ Regẽ caußari. Accusent potius & criminentur ingluuiem suam. Accusent suã intemperantiam, libidinẽ, uoracitatemq́; inexplebilẽ. Accusent sibi ignauiã genuinam, molliciem, ineptitudinẽq́; ad subeundos labores. Quippe qui tã sanctã deserẽtes expeditionẽ aduersus Turcas, reuertũtur gregatim, ut sanguini insidiãtes Christiano, in perniciẽ nostrã tutius,* καὶ ἐξ ὠβελῶν, *authoramenta mereantur.*

*Hi etiam, alijq́; eiusdẽ farinæ pessimi nebulones, qui Cæsari male cupiunt, eidemq́; semper mala ominantur,*

per-

*perſuaſerunt iam credulæ multitudi-ni, ipſum uita defunctum eſſe: idq́ non alia faciunt ratione, q̃ ut ſic ſeditionẽ aliquam excitent, quibus in tranquilla Rep. eſt nihil prorſus quod agant.*

Ὦ πᾶσιν ἀνθρώποισιν ἔχθιστοι βροτῶν.
ψευδῶν ἄνακτες, μηχανοῤῥάφοι κακῶν,
ἑλικτὰ, κοὐδὲν ὑγιές.

*Cæterùm & ſi debeant inſanire hoc nomine, Cæſar (quod per literas fide dignas intelligo) nobis in Hi-ſpania uiuit feliciter, & felicius quàm qui proſperrimè, rediturus breui in Germaniam, Diis, hominibusq́ plau-dentibus. Qui quidem ob inclementi-am hyemis, obq́ etiã negotia Hiſpa-nica, quæ illi expedienda erant, reuer-ti ad præſcriptum tempus non potuit.*

Nunc

*Nunc uerò iam ad profectionem accingitur, eumq́ ante dies paucos uerè Coloniæ uidebitis. Sed perge, heus, tu Europa. Hæc enim erat animus dicere.*

*Europa.*

*Sanè qui malè precantur Cæsari, ijdem calumniantur & Ferdinandum Regem inculpatißimum.*

*Vt frendunt gentes? Vt populi uana moliuntur?*

*Concursant reges òrbis, & principes in unum coëunt, aduersus Dominũ & Christum eius.*

*Rumpamus, inquiunt, uincula eorum, & lora eorũ à nobis proijciamus.*

*At, qui cœlos habitat Dominus, ridet, ac ludit eos.*

Sed

*Sed in me iſthæc faba cudetur. Hoc in me (quod ſum certa) recidet malū. Omnium harum difficultatū (ſi Dijs placet) ipſa datura ſum pœnas. Verùm iam iacta eſt alea. Poculum hoc exitij mihi ſemel eſt exhauriendum. Quanꝗ interim non deſunt aliquot heroes, qui me bono eſſe animo iubeant, quiq; mihi polliceantur fœlicia.*

*Siquidem, S.D.N. Paulus tertius P.M. totus in hoc uerſatur, ut tumultuanti Europæ ſua reſtituatur tranquillitas.*

*Optimus ille Luſitanorū Rex Ioannes, ex altero cornu claſſe nūeroſa ꝓpugnās, nō ſolū me tuetur, ſed auget.*

*Inuictiſſimus etiā Anglorū Rex Henricus octauus, quū incepiſſet in-*

genue seseq; ad pacem componendam iā accinxisset, intestina cogitur nūc arma capessere, ab Scoto (quæ mea est summa infelicitas) lacessitus, & prouocatus.

Reuerendissimus & Illustriss. Vir, Dominusq;, D. Hermannus à Vueeda, Archiepiscopus Colonienfis, ac Sacri Imperij Princeps Elector, strenuissimā mihi operā nauat, omnemq; adhibet diligentiā, omnē rudentē mouet, ut meis rebus cedat prosperrimè, estq; meus fautor præcipuus.

Nec lentè mihi patrocinatur eiusdē Domini, ob singulares uirtutes suas, successor optimus, D. D. Adolphus, Comes in Holsten, & Schauuēborgh, extra omnem ingenij aleam, heros eruditissimus, ac simul generosissimus.

Ardētissimo mihi indulget amorē

Reuerendiß. in Christo Pater, ac Illustrissimus Princeps Elector, D. D. Ioannes Lodouicus, Archiepiscopus Treuerẽsis, pacis ĩtegerrimus author.

Inter primos tamen erat annumerãdus summa Reuerentia dignissimus Dominus, ac Illustrissimus Princeps Elector, D. Albertus, Cardinalis Præsulq; Mogũtinensis, cultor & exhortator pacis diligentissimus.

Incolumitati etiã meæ neruis tẽsis incũbit Clarissimus & Clementiss. Princeps, D. Anthonius à Lotharingia, Lotharĩgiæ Barrhiq; Dux suspiciẽdus.

Quòd meæ incolumitati prospiceret, religionemq; tueretur Christianã, Henricus ille Optimus Dux Brunschuicensis, pulsus possessionibus suis,

*profligatusq; iā exulat. Qui ob id quidem unà mecū potest canere illud Dauidicum.*

*Qui reddunt malum pro bono, calumniabantur me, quoniam ipse bonitatem sectabar.*

*Amici & proximi mei, è regione erant, cum percuterer. Cognati uerò longè aberant.*

*Et irruerunt in me, qui insidiabantur uitæ meæ. Et qui malum mihi concinnant, fraudes ac dolos omni tēpore excogitabant, atq; meditabantur.*

*Afflictus & humiliatus sum eò usq;, ut omne tēpus mihi sit fastidiosum.*

*Hostes autem mei salui sunt, ac fortes, & crescunt qui me odio prosequuntur iniquè.*

Domi-

*dica me iuxta innocentiam meam.*

*Erubescent ac turbabuntur uehementer omnes inimici mei. Mutabuntur & erubescent subitò.*

*Antiquißima simul & Augustißima familia Ducum Bauariæ, semper mihi suppetias tulit, nec indies cessat labentem me, quantum potest, erigere: at prorsus conatu Sisyphico.*

*Clarißimus & prudentiß. Vir, Dominus. D. N. Peronotus, D. à Granuela, Cæsariæ M. Cancellarius optimè meritus, nihil tam habet in uotis, nihil tam ex animo cupit, quàm ut integrè conualescã, idq; curat omnibus modis.*

*Plurimum me debere non eo in*

*ficias, Illustri, Magnifico, atq; Sapiētiss. Viro, Domino. D. Lodouico à Flandria, D. Prati, Diui Caroli. V. Supremo Cubiculario, meo semper fautori & adiutori maximo.*

*Mea sedulò negotia curabat, Reuerendus in Christo pater, ac Dominus, D. Anthonius à Castro Nouo, Terbensis Episcopus, oīm uirtutū & disciplinarū agmine cōmunitus. Qui quidē Orator Galliarū apud Cæsarē disertissimus, anno, 1539. Mantuæ Carpētanorū in Hispania nobis ereptus est, nō sine magna pnicie mea. Cū eo siqdē subitò pax interijt, atq; utinā etiā ipsa (interijssem. Eadē tēpestate, splendidæ nobilitatis atq; Doctrinæ Vir, Dominus. D. Thomas Huuyattus, summæ authoritatis apud Anglorum Re*

*rẽ Orator Clariss. ac post ipsum etiam Ornatiss. & Consultissimus Vir, D. Rhichardus Tat, Orator similiter Anglus, omnia periclitati sunt, ut negotia Europæ cõponerentur optime.*

*Qua detecta animi alienatione, meã Frãcisci Lupi, Oratoris Lusitanorũ apud Cæsarẽ Sapientiss. nobilissimiq́;, & qui mihi nunq̃ defuit sua opera, hactenus dignitatẽ atq; splendorẽ subticui?*

*Quanta meo nomine terra mariq́; est perpessus, Clariss. & Doctiss. Vir, D. Cornelius Scheperius, in omni uarietate linguarum Princeps & Coryphæus existens?*

*Maxime accerser ingratitudinis, si obliuiscerer impræsentiarũ Reuerẽdi in Christo Patris D. D. Aluari à*

*Moſcoſo, in Sacra Theologia Doctoris Pariſienſis longè aliorum omnium abſolutiſſimi, ac non minus generis claritudine, quàm doctrina eximia ſplendentis. Qui perpetuò meum luget exitium, meas calamitates declamitat.*

*Sunt & alij plureis optimi Viri, Principesq́ (quos breuitatis gratia prætereo) qui mihi ſemper fauſta precantur, cæterùm incaſſum & fruſtra. Quid enim poſſunt mortales contra fatale conſiliū? Si fata iniqua ſtatuerunt, ut ciconiæ quidem iuniores alerēt ætate cōfectas, educationem quam ab illis acceperant, pari officio penſantes, me autem mei partus abſumerent, quid moliaris? Quid facias? Vela uentis ſunt permittenda. In hac mihi nauigandum*

*est cymba, eundemq́; quò me infelicitas mea, illorum autem pellet peruersitas.*

*At uerò, si commodo aliquo allecti, ingratissimi alumni mei mihi tantū negotij facerent, deplorarem quidem iniuriam meam, simulq́; illorum iniquitatem. Quum autem sit in confesso, cōciliare etiam sibi eos internicionem extremam, dum me tam insolenter lacessunt, non minus eorū mihi est deflenda infœlicitas, quàm contumelia mea. Et quibus dira imprecari par fuisset, horum dolere uicem, hos commiserari compellor. Siquidem ignorant infœlicissimi, quantam sibi omnium malorum lernam accersant, mutuum bellum gerentes, iugibusq́; dissidijs rixantes.*

*Primò enim, uel si bellum cedat*

liciter, aßiduo tamē armorum uſu, labore & uigilijs multis, inordinata uictus atq; exercitiorū ratione, corporis habitudinem frangūt: miſeram & præcocem (niſi forte cadāt in bello) ſibi ſenectutem accelerant: ſanguine humano polluuntur: exhauriunt opes: expilant populū: premūt bonos: improbos ad tetrica & perhorrenda ſcelera incitant: liberales artes extinguunt: interdicunt legibus: uitæ cōmercia intercludunt: quid multis? adulterandi, occidēdi, latrocinandi, peierandi, effodiēdi muros, ſcādēdi, incēdendi, uaſtandi, infinitā deniq; omnium flagitiorum impunitatem atq; licentiam concedūt: & quum hamo aureo (quod in prouerbio eſt) ſemper uideantur piſcari,

πολλάκις καταναλώσαντες τὰ φανερὰ τῶν ἀδή-
λων ἕνεκα, ἃ μὲν ἔμελλεν, οὐ λαμβάνουσι, ἃ δὲ εἶ-
χον, ἀποβάλλουσι τοπαραπάν. *Nec unq̃ con
tingit uictoria nõ cruenta, nõ infœlix,
nõ magno empta uictori: Accedit etiã,
dũ mutuo belligerãtur Christiani, dum
mutuis sese telis confodiũt, eos Christi
hostibus iucũdissimũ exhibere spectacu
lũ. Nam qd obsecro eos putandum est
dicere, dum uident, uel ob occasiones le-
uissimas, ipsos multò inter se crudelius,
tetrius, atq; inhumanius pugnãtes feris?
Quo nos excipient scommate, qua nos
irrisione fastidient, confligere cum ru-
bra cruce albam cernentes? Etenim in
utraq; acie inuocatur Christus. Chri-
stus aduersus Christum, manum conse
rere cogitur: qui eo tantùm nomine ad*

nos descendit, ut pacem aleret, hominemq́; patri suo recõciliaret. In utrisq́; castris, elucet crucis signaculum. Cruce insigniuntur uexilla, Cruce sanguinarij carnifices, ad lanienam Christiani fratris, ad meram carnificinam cõducti. Quorũ animis magis certè congruerent serpentes, aspides, crocodili, lupi, leones, tigrides, nisi fortè hoc nomine liceat eos crucem gestare, quòd nimirum digni sint cruce, nempe cruce uolentes perdere, quem redemptor noster cruce uoluit seruare. Per has igitur lues & pestes Christiani principes me exedi & deuastari patiuntur. Per has ipsi interse conflictantur & colliduntur, quos uinculo indissilubili Deus uoluit semper esse conglutinatos.

*O insignem amentiam. O furorem exorbitantem. O cæcitatem immensam. O atram ingeniorum caliginem.*

*Inter cœlestes orbes nunquàm uiolantur fœdera. Sydera mutua pace fruuntur. Sol suum lumen semper Lunæ communicat. Pacem quatuor elementa tuentur, neq; unq̃, & si cõtraria, à suis sedibus labefactãtur. Bruta in suo quæq; genere degũt pacificè. In arboribus, hærbis, atq; uniuersis stirpibus, in lapidibus, metallis, & mineralibus, ac breuiter, in omnibus quæ sub cœlo diues natura continet, facilè amicitiã depræhendemus. Solus autẽ homo, ratione præditus, cui famulantur hæc omnia, pacem & concordiam decrectans, eamq; toruis oculis intuens, bello, iurgijs, cæ-*

dibus,

*dibus, factionibusq́; oblectatur.*

*Non mouet Christianos Prin cipes, illud Carthaginensium, Sparti atarum, atque adeò etiam Athenien sium exemplum: qui omneis ob factio nes mutuas perierunt. Nec dehorta tur à simultatibus sapientißimum Ti resij, Principis cuiusdam Galli, re sponsum, qui quidem consultus à Sci pione Africano, qua de caussa Nu mantia, antiquißima illa Hispania rum ciuitas, aut prius inuicta, aut post à se euersa fuisset, quia, inquit, concor dia uictoriam, discordia exitium præ buit. Non denique deterrentur testi monijs scripturarum, nihil diuisum diu constare posse testantium. Cæterùm & si sciam me oleum lusuram, & ope*

ram, humoremq́; ex pumice postulatu-
ram, ne quid tamen inexpertum relin-
quam, hostes meos & aduersarios rur
sus affabor supplex.

O sacra, O pia, O maximè uene-
randa Principum Christianorum co-
rona, satis superq́; iam humani fusum
est sanguinis. Satis litatum est furijs.
Satis obtemperatum Orco. Si quis er
go locus est précibus, uobis siqua in-
est pietas, si quam apud uos gratiam
habeo, si quid bene de uobis merui un-
quam, per has ego uos lachrymas orò
(aliud enim miseræ mihi superest ni
hil) miseremini Europæ labentis.
Miseris opem ferte singultibus. Ex-
uite iam istum crudelē animū. Mitesci
te paululum. A furore isto aliquādiu
respi-

respirate. Si uos non emollit meus luctus, si non demulcet meus planctus, si non lenit mea lamentabilis ruina, moueat eiulatus uestri miserrimi populi, cruore cuius mei sinus sunt pleni. Vincant longa uiduarũ suspiria, passim uiros suos deplorantium. Moueant dispalãtes pupilli, quibus sanè dulces parentes, gladius amarulentus absorpsit. Moueant multi parentes pij, qui liberis orbati ingemiscunt. Moueant liberalium artium studia, quæ omnino iacent & obsolescunt. Moueat Religio Christiana, quæ cum illis frigescit simul, atq; periclitatur. Si uerò ne his quidem pectus istud saxeum mollescat, certè rationi est consonum, uestra uos cõmoueat calamitas, quæ quidem

dem uelis equisq; (quod in paroemia est) iam iam uos in exitium adigit, iam rapit per praecipitia. Quod si in uos etiam uultis esse crudeles, cauete interim, ne in Deum, summam & ueram pacem, impij esse uideamini. Cauete ne eum aduersum uos, concitetis. Cauete ne iram illius experiamini. Cui quidem ut displicuisse summa infoelicitas est, sic contra, gessisse morem, foelicitas & beatitudo immortalis.

τέλος.

*Europæ breuis descriptio.*

*AVdistis miserandam lamentationē, Viri citra cōtrouersiā Doctissimi. Ne autem quispiam uestrum ignoret, quidnam lachrymosa hæc nobis mulier significet, Europæ descriptionem rudem, atq; perfunctoriam accipito.*

*Totus terrarum orbis, qui habitabilis est, in tris plagas, siue regiones distinguitur. Europam scilicet, Asiam, & Lybiam. Nam qui totam illam telluris partem, quæ inter alteram columnam Herculeam, Mare Mediterraneū, Nilum, & mare cōprahenditur Aethyopicum, absolutè Africam nominant, parum ij rationi consona profitentur, Africa siquidem*

tantùm eſt ala ea, quæ Italiæ oppoſita, mare ſpectat Mediterraneũ, præcipuè circa ſinus ſita Carthaginenſes. Quare Scipio ille Romanorum Dux Strenuiſſimus, quòd euertiſſet Carthaginem, inde Africani nomen ſortitus eſt. Pari nimirum ratione, D. C. V. R. Imperator. S. Aug. quandoquidem expugnauit Tunetum, urbem paulò recedentem à freto Carthagienſi (quam ideo nonnulli uocant ſecundam Carthaginem, quòd hac euerſa, in illam confugiſſent pars magna Carthaginenſium) maximo iure ſuo Africanus etiam dici meretur. Eſt itaque Africa, illius tertiæ orbis partis (quã ſecundũ Ariſtotelẽ appellamus Lybiam) tãtùm quædã portiuncula.

*Lybia itaq; ambit in se tum Africam, tum Aegyptum, tum Aethyopiam, atq; adeò Mauritaniã utramq;. Cæterùm ab Asia quidem distinguitur, interfluẽte Nilo. Ab Europa uerò, mari Mediterraneo, Asia porrò ab Europa Tanai dispescitur flumine, Meotidibusq; paludibus.*

*Europa igitur, pars illa orbis existit, quæ inter unam Columnam Herculis (Est enim una in Europa, altera autem in Africa) mare Tyrrhenum, Thanaim flumen, Oceanum Septentrionalem, ac denique ipsum Occidẽtalem circumuallatur. Ab Ortu siquidem cingitur Asiæ parte, quæ ad Tanaim flumẽ spectat. Ab Occasu mari quatitur Occidentali. Ab*

Aqui-

Aquilone, Boreali: A Meridie deniq; ipso Mediterraneo.

Præcipuæ partes Europæ sunt hæ. Hispania, in treis præfecturas distincta, Lusitanicam nempe (quæ hodie Portugallia appellatur) Bœticã, atque Tarraconensem. Ab Hispania uersus Ortum pergentes, confestim ingredimur Galliam, superatis montibus Pyreneis, qui illas regiones separant. Gallia est quadruplex. Aquitanica, Lugdunensis, Celtica, & Narbonensis.

At uerò Italia (quæ quidem Alpium iugis à Gallia, atque ab Heluetijs secluditur) ad dextram uersus Meridiem, sese detorquens, regionem, ex altera parte sui, undique mari

*um Europæ, magnitudine pulchritudi-ne, diuitijs, freti cõmoditate, atq; præ-stantia hominum Illustrissima. Cui qui-dem uicina Hybernia natura & lege subiecta est.*

*Post has, Baleares insulæ, Maiori-ca scilicet & Minorica, ex altero Hi-spaniarum latere, mari insunt Medi-terraneo. Dein Corsica, Sardinia, Si-cilia, & Creta. Nam Euboea, Rho-dos, Lesbos, & Cyprus, etsi aliquan-do sub eius imperio fuerint, nõ Euro-pæ, sed potius Asiæ tribuuntur.*

*Condolescite igitur, ò Viri pij iu-xta & Christiani, miseræ atque lamẽ-tabili Europæ. Deflete inquam sortẽ illius, quæ cum olim omnibus suis parti-bus fuisset integra & absoluta, suumq;*

*propagasset atque extendisset imperiũ; adeò nunc, nescio quorũ socordia, iacet curta & truncata, adeò in angustum coërcetur locum, adeò suis possessionibus pellitur, ut uix iam habeat infœlix, quò amplius sese posśit recipere. Siquidem ex tot regnis, ex insulis & prouincijs tam multis, ex tot tamq; uarijs imperijs, ex tam numerosis ditionibus, quibus erat corroborata, iam ei nihil præter suspiria superest, nihil præter asśiduas lachrymas.*

*Quod si membra quæ illi reliqua sunt, conseruari adhuc possent, utcunq; ferenda esset prisca illa, quãuis impendio grauior iactura. Omnia tamẽ languescunt morbo. Omnia imbecilla sunt. Omnia minantur ruinã, neq; ullam eius*

est teperire particulã, quæ caduco mor bo nõ infestetur, quæ herpete Cacoëthe exulcerata non sit, quæ intemperie dira non affligatur.

Quis talia fando,
Myrmidonum, Dolopumue, aut duri miles Vlyßis,
Temperet à lachrymis? & iam nox humida cœlo
Præcipitat, suadentq; cadentia sydera somnos.

Vt ergo, Splendidißimi Viri, orationi meæ iam iustũ colophonẽ imponã, perinde ut in desperatis affectibus, solent perpetuò ægri, minimè quidem uulgarẽ, sed medicũ præstantiorem cõsulere, quiq; & ratione & experiẽtia plus ualeat: sic etiam nos huic Europæ tam deploratæ, nõ humanum, sed Diuinum imploremus auxilium.

Precemur itaq; Deum Opt. M. Patrem, Filiũ, & Spiritumsactũ, ut quẽ

admodũ ipsi existentes personæ treis, unum tantum sunt numẽ, sic faxint etiam, ut nostri Christiani Principes, bellis, iurgijs & simultatibus positis, in perennem amicitiam atq; unionem coëuntes, solumq; mutuis beneficijs certantes, uno eodemq; conatu huic misellæ iam fatiscenti, suas pridem collapsas uireis restituãt, restitutasq; semper aduersus nostræ fidei hostes tueantur.

Vobis autem, Viri Clarissimi, qui hodie alacritate & splendore uestro eam confirmare, consolari, atq; illustrare dignati estis, ipsa & ego immortales agimus gratias, Daturi operam, ut nulla unq̃ dierum, tanti beneficij nos offendat ingratos.

τέλος.

## PRIVATVM QVODDAM EXEMPLVM, AT CHRIstianis maximè nunc imitandum Principibus.

Parum cōueniebat inter duos quosdam cognatos, de re diuidunda. Cumq; neuter alteri uellet concedere, res eô spectabat, ut iretur in ius, & iudicum sententijs controuersia finiretur. Adibantur aduocati. Parabantur dicæ. Res erat cum iureconsultis. Aditi iudices, Contestata lis. Cœpit agi caussa. Hoc est, bellum susceptum est. Ibi alter maturè resipiscens, aduersarium priuatim accersitum his uerbis alloquitur. Principio parum decorum est, ut quos natura copulauit, pecunia dissociet. Deinde incertus est litis

*euentus: haud minus q̃ꝫ belli. Suscipere nobis in manu est, finire non est. De centum aureis tota lis est. Eius summæ duplum in notarios, in promotores, in aduocatos, in iureconsultos, in iudices, in iudicum amicos, expenditur, si legibus experiamur. His erit inseruiendũ, adulandum, dandum. Interim taceo curas, ambiendi, cursitãdiq; labores. Deniq; ut maxime uincam, plus tamen est incõmodi, q̃ꝫ commodi. Quin potius ipsi nobis sapimus, q̃ꝫ istis prædonibus, & inter hos male collocandam pecuniam, inter nos partimur? Concede dimidium de tuo, ego tantundem de meo concedam. Ita & amicitiam nostram alioqui perituram, lucrifaciemus, & tantam effugiemus molestiam. Quod si recu-*

*ſas quicquam concedere, ego uel uniuerſum negotium tuo permitto arbitratui. Malo penes amicum ſit hæc pecunia, quàm penes inſatiabiles illos prædones. Abiĕ de magnum fecero lucrum, ſi & famæ pepercero, & amicum ſeruauero, & tantum effugero moleſtiarum. Mouit aduerſarium, tum rei ueritas, tum cognati feſtiuitas. Rem itaq; inter ſe tranſegerunt, iratis aduocatis & iudicibus, quos coruos inhiantes deluſerant.*

QVAE CHALCOGRAPHO FE-
stinanti, obiter prætermissa sunt, sic, be-
nigne Lector corrigito.

Folio 5, pag. 2. lin. 9. lege Confluentiā. per C.
Fol. 6. pag. 1. linea penultima. lege paradeisum.
Eodem folio. pag. 2. lin. 2. lege pylωri.
Fol. 14. & 15. & 16. in nonnullis exēplaribus pro titulo habetur. Argumentum Authoris. legendumq́ est Europa sese discrucians.
Fol. 15. pag. 2. lin. 16. lege in tanto mearum fortunarum discrimine, nam exemplaria aliquot aliter habent.
Fol. 30. pag. 1. lin. 1. lege ἀδήλωμ.
Fol. 31. pag. 1. lin. penultima. lege detrectans.



*Aduerte etiā, Candide Lector, tralationē illam psalmorum, quæ à nobis ter recitata est, nec receptam, nec recipiendā esse à Catholica Ecclesia: quòd nimirum per uirum haud satis probatæ fidei sit edita. Eam autem (quanq̄ iā pœnitet) nostro inseruimus*

luctui